

hum (1). 5. Græcos non posse, ad adstruendam suam sententiam, proferre aliquem ex græcis patribus, qui aperte neget Spiritum Sanctum a Filio procedere, nisi unum s. Joannem Damascenum, qui non floruit nisi sæc. IX; quo autem sensu id negaverit, ostendimus tum contextu ipso, tum ex aliis ejusdem patris parallelis locis, in quibus et ipse cum ceteris patribus docet, Spiritum Sanctum procedere a Patre per Filium; 6. quod proinde consequens est, græcos hallucinatos esse in vocibus illis per Filium, dum impugnantur Latinos; et latenter, ut ita dicam, apud ipsos semper quosdam tenuisse errorem, qui antiquitus apud faciosos nonnullos obtinuit; quia, licet sectæ extinguantur et transeant, apud pertinaciores aliquos semper aliquid sectæ extinctæ conservatur, donec data occasione foras erumpat, ut patet ex criminatibus objectis, ut vidimus, circa hunc articulum ecclesie romane, tum a monothelitis, tum ab iconomachis, ac demum a Photio ejusque fautoribus; et sic ratio redditur ejusmodi doctrinæ, quæ sensim sine sensu in ecclesia græca invaluit (2). Quod cum viderint græci pii et docti, qui sincero animo veritatem querebant, non dubitarunt errorem dimittere, et in ecclesie catholice unitatem redire (3).

(1) Ita passim S. Epiphanius et S. Cyrillus Alexandr. qui aperte processionem Spiritus S. ex Patre, et Filio repetunt. Ille quidem in *Ancorato* cujus superius locum citavimus ex n. 67, ubi, Spiritum S. tum a Christo; tum num. 71, ab ambobus, Patre nepote et Filio procedere, bis in eadem pagina repetit et iterum *Hæc. LXIV*, num. 8; tum *Hæc. LXII*, num. 2 et 4 etc. Alter vero tum alibi tum in *Dial. vii. De Trin.* ubi Spiritum S. ex ipso (Filio) esse affirmat; et cap. 34 *Thesauri. ex Patre et Filio* procedere pro certo sumit. His addendus Didymus, cujus verba pariter retulimus. His addatur s. Greg. Nyssenus, qui, *Hom. iii. in orationem dominicam*, inquit: Spiritus S. et ex Patre dicitur, et ex Filio esse perhibetur, etc. Contra ex latinis patribus non desunt, qui doceant Spiritum Sanctum procedere per Filium. Sic Tertull. lib. *Cont. Praxeam* cap. 4, inquit: Spiritum non aliunde peto, quam a Patre per Filium.

(2) Ubi obiter notandum, juges similitates græcorum adversus Latinos fuisse exercitas, ex quadam aemulatione ob imperialem ipsorum urbem, quarum non paucæ suppetunt exempla in antiquitatis monumentis. Nil mirum proinde, si amarulento animo causas dissensionis necesse nunquam fere detulerint.

(3) Inter hos celebriores sunt Joannes Veccus seu Beccus, Gennadius, Bessarion, Cydonius Demetrius, Niceph. Blemmyda alique bene multi, quorum præterea scripta adversus græcorum errores partim exhibet Leo Allatus in sua *Græcia orthodoxa*, duobus vol. in-4, Romæ 1652 et 1659, partim Petrus Arendius vol. 1 in-4, Romæ 1650, in Op. cui titulus *Opuscula aurea Theologica*. Inter eos, qui ceteris palmam facile præcipuerunt in hoc argumento, eminet Manuel Calcas. Ord. Præd. cujus libros iv contra errores græcorum ex græco in latinum verit Ambrosius Camaldulensis; post alias editiones novam adornavit ex bibliotheca Bavaria ac notis illustravit Petrus Stevartius vol. 1 in-4, Ingolstadt 1668. Sic ipse Leo Allatus de suo scriptis *De ecclesie occidentalis atque orientalis perpetua consensione libros tres*, vol. 1 in-4. Colon. Agripp. 1648. Laudandum præter eos sese exhibet Nic. Comnenus Papadopoli Cretenensis, qui anno 1699 Petavii, ubi sacrorum canonum erat interpret, vulgavit suas *Prænotiones mystagogicas ex jure Canonico*;

III. Obj. Nisi Spiritus Sanctus a solo Patre procedere dicatur, plura sequerentur absurda; ac 1. quidem quod a duplici spiratione dimanet. 2. Quod Patris appellari possit nepos. 3. Quod magis distet a Patre quam Filius. 4. Quod prius hic sit genitus quam ille spiratus. 5. Quod Filius esset supervacaneum Spiritus Sancti principium, cum Pater per se sufficiens sit ejusdem principium; ergo.

Resp. 1. generatim. Cum de facto revelationis constet, frustra rationis falsa commenta objiciuntur. Quare, ne videremur ratione theologica, quæ non omnibus probatur, dogma fidei adstruere, consulto abstinuimus ab afferenda illa, quæ petitur ex eo quod, si Spiritus S. a Filio quoque non procederet, non distingueretur amplius realiter a Filio ipso, cum in divinis, juxta tritum scholarum estatum, omnia sint unum, ubi non intercedit relationum oppositio; etsi hæc ratio solidissima sit, et non solum a s. Anselmo et a s. Thoma, sed a nonnullis etiam Patribus græcis afferatur (1). Multo minus attendi debent, quæ a græcis urgentur, quæque magna ex parte a patribus ipsis jamdiu disjecta sunt. Ne tamen ea absque solutione dimittamus:

Resp. 2. ad singula. Ad 1. neg. Cum enim nulla sit inter Patris ac Filii spirationem realis oppositio, una est utriusque spiratio. Non duo proinde sunt Spiritus Sancti principia sed unum, quemadmodum Pater, Filius et Spiritus S. una sunt rerum creaturarum causa, ratione unius ejusdemque omnipotentis (2).

Ad 2. 3. et 4. Neg. pariter. Etenim, ut observat s. Thomas (3), sicut generatio Filii generanti coæterna est, sic processio Spiritus S. coæterna est suo principio; quare non prius fuit genitus Filius, quam Spiritus S. procederet, sed utrumque æternum est. Hinc negamus Spiritum Sanctum Patris appellari posse nepotem, tum quia nepos filius est filii, et Spiritus S. Filii seu Verbi filius non est, tum quia nepos non procedit immediate ab avo, prout Spiritus S. procedit a Patre (4); solo quippe ordine tertius e-4, qui quidem ordo nihil in re aut tempore ponit (5).

in quibus energie schismaticos impugnat. Cfr. Resp. v. sect. 3, § 9 et seqq., ubi quæ spectant ad argumentum nostrum, compendio collegit, et græcorum triecas dissolvit.

(1) Cfr. Petav. lib. vii, *De Trin.* cap. iii, § 4; tum ibid. cap. ix, § 11 et seqq. A scotistis tamen ratio illa non admittitur, qui contendunt distinguere Spiritum Sanctum a Filio, etsi ille ab hoc non procederet, eo quod Filius ab intellectu, Spiritus Sanctus a voluntate procedat. Sed non video, utrum hoc solidius sit.

(2) Cfr. Petav. ibid. cap. xv, § 12 et seqq., ubi ostendit non minus ex substantia Filii Spiritum Sanctum procedere; et sic dissolvitur argutula græcorum objectio.

(3) Part. 1, q. xxxvi, art. 5, ad 3.

(4) Petav. ibid. cap. 11 ostendit, quo sensu processio Spiritus Sancti mediata dicatur ab aliquibus patribus, quod quidem a nonnullis aliis videtur negari, cum tamen utroque modo dici possit Spiritum Sanctum a Patre procedere.

(5) Superius vidimus a macedonianis hanc profa-

AI 5. Neg. denique sequelam et suppositum. Etenim quemadmodum non valet hæc argumentatio: Pater est sufficiens creationis causa; ergo neque Filius, neque Spiritus S. causa sunt creationis; sed potius dicendum: Pater est creator; ergo et Filius et Spiritus S. qui eandem habent cum Patre omnipotentiam; ita non valet ratiocinatio: Pater est sufficiens Spiritus S. principium; ergo Filius non est principium Spiritus S., sed potius concludi debet: Spiritus S. procedit etiam a Filio, cui omnia quæ Pater habet communia sunt, una excepta Paternitate (1).

PROPOSITIO II. — Inmerito Græci Ecclesiam Latinam corrupti symboli insimulant ob additamentum particulæ Filioque.

Ita in primis statutum fuit in concilio Florentino græcis consentientibus: *Explicationem verborum illorum, Filioque, veritatis declarandæ gratia, imminente tunc necessitate, licite ac rationabiliter symbolo fuisse appositam* (2). Jamque antea in concilio Lugdunensi II, anno 1274 celebrato, latini et græci simul intra Missarum solemniam ad publicæ profitentiam utriusque ecclesie concordiam cœcinere symbolum una cum declaratione: *Qui ex Patre Filioque procedit*.

His præmissis, sic adstruimus enunciatam propositionem: Si qua ratio foret culpandi ecclesiam latinam ob insertam symbolo particulam Filioque, hæc esset decretum concilii Ephesini id prohibentis; atqui hæc ratio nulla est; ergo.

Major hujus argumenti unanimiter a græcis admittitur, qui bene norunt, morem hunc, quidpiam, majoris declarationis gratia et ingruentibus hæresibus, adjiciendi Symbolo apostolico, viguisse in ecclesiis, sive orientalibus sive occidentalibus, usque ad Ephesinam synodum; ut ex certis historicis monumentis esse difficultatem; eam vero repetere ac suam facere græci recentiores non verentur.

(1) Præter græcos auctores, quos recensuimus, consuli poterunt circa gravissimam hæc controversiam inter ceteros s. Anselmus, in *Monologio* cap. 50 et seqq. ed. Maur.; s. Thom. *Contra gentes*, lib. IV, cap. 24 et seqq., et in *Summa* quæst. cit. superius; Belarminus, lib. II *De Christo*, cap. 20. et seqq.; Petavins, lib. VII *De Trin.*; Le Quien, diss. 4 in opp. S. Joan. Damasc.; Nat. Alex. dissertat. 18 in sæc. IX et X, adversus Photium aliosque græcos schismaticos; Bernard. de Rubéis Ord. Præd. *Diss. hist. et dogm. de process. Spiritus S.* etc. in opere, quod inscribitur *Georgii seu Gregorii Cyprii vita*, vol. 1, in 4, Ven. 1755; aliæ dissertationes inveniuntur in *Thesuro theologico Zaccaria*, tom. III; sed præstat adire acta ipsa concilii Florentini, apud Labb. tom. XII, in quibus omnia, quæ ad quæstionem presentem faciunt, plene discussa sunt, donec tandem veritate agnita græci subscriperunt editæ fidei definitioni, ibid. col. 1170. Vide etiam aureum librum s. Anselmi, *De processione Spiritus Sancti*. Cfr. etiam Galani Clerici regul. *Conciliationes Eccl. Armenæ cum Romana*, Romæ 1658., tom. I, part. II, quæst. 9, de Christo Filio Dei producente una cum Patre Spiritum Sanctum, ubi ex Scriptura ac patribus græcis ac latinis fuse ostendit hanc veritatem adversus armenos dissidentes.

(2) Sess. xxv, apud Labb. col. 345.

mentis constat (1). Eadem præterea assertio patet ex eo, quod græci nullam aliam objurgandi ecclesiam latinam causam proferant præter Ephesinum decretum.

Miorem vero ut evincamus, juverit afferre tum motivum tum verba ipsius memorati decreti. Motivum edendi ejusmodi decretum fuit symbolum a nestorianis interpolatum quodque Ephesinæ synodo obtulit Charisius presbyter, et quo plures incaute decepti fuerant. Quo recitato, ad omnem ejusmodi deceptionis occasionem in posterum tollendam Ephesina synodus decretum emisit his verbis conceptum: *Statuit sancta synodus, alteram fidem nemini licere proferre, aut conscribere, aut componere, præter definitam a sanctis Patribus, qui in Nicæa cum Spiritu S. congregati fuerunt. Qui vero ausi fuerint aut componere fidem alteram, aut proferre, vel offerre converti volentibus ad agnitionem veritatis, sive ex gentilitate, sive ex judaismo, sive ex qualicumque hæresi; hos quidem, si sunt Episcopi aut clerici, alienos esse Episcopos ab Episcopatu, et clericos a clericatu decrevit: si vere laici fuerint, anathemati subijci* (2).

Vel igitur per alteram fidem, ut plures contendunt, concilium intellexit fidem contrariam, aut diversam a

(1) Etenim Symbolum apostolicum brevius et simplicius, quam hodie, tribus primis ecclesie sæculis, in omnibus ecclesiis, iisdem pene verbis conceptum, viguit, sive in Oriente, sive in Occidente. Erat autem ejusmodi: *Credo in Deum Patrem omnipotentem, et in Christum Jesum, unicum Filium ejus, Dominum nostrum. Qui natus est de Spiritu Sancto ex Maria Virgine. Crucifixus sub Pontio Pilato et sepultus. Tertia die resurrexit a mortuis. Ascendit in caelos, sedet ad dexteram Patris, inde venturus est judicare vivos et mortuos. Et in Spiritum Sanctum, Sanctam Ecclesiam. Remissionem peccatorum. Carnis resurrectionem.* Quod quidem in sua simplicitate, seu nulla auctum declaratione, ad plura sæcula servavit ecclesia romana. Ecclesia ravennatensis, teste s. Petro Chrysologo, in *Sermonibus in symb. Apost.* addebat *vitam æternam*. Absque his postremis verbis retinebat ecclesia Taurinensis, ut testatur S. Maximus; *Hom. in traditione symboli*. Ecclesia aquitana, teste Rufino in *Exposit. symboli*, inter opera s. Cypriani, addebat ad primum articulum: *invisibilem et impassibilem*, ac postea: *descendit in inferna, in fine: hujus carnis resurrectionem*. Sic in ecclesia africana auctum quinque verbis exhibet s. Augustinus *Serm. cxxi* et seqq. et in ecclesiis hispanicis, ut illud recitat Etherius, episc. uxamensis, lib. 1 *Adversus Elypandum*, arch. toletanum, anno 785 ad 2. articulum videmus adjectum: *Deum*; ad 4. passus: sic postea inveniuntur verba: *descendit in inferna, resurrexit rivas, ad dexteram Dei Patris omnipotentis, ecclesiam catholicam, remissionem omnium peccatorum, et vitam æternam*.

Eadem vixit quoad verba variata in Symbolis ecclesiarum orientalium. Symbolum commune non differebat a symbolo communi recepto in occidente superius recitato, nisi in duabus vocibus: *Credo in unum Deum, et in unum Dominum* etc. Ceterum in formula ecclesie alexandrinæ et ecclesie hierosolymitanæ plura sunt adjecta; prima videri potest apud Socratum *Hist. eccles.* lib. I, cap. 22; et Soroni. lib. II, cap. 27, altera apud Tomitæ in edit. *Opp. s. Cyrilli Hieros.* post catechesin v. Hæc vero varietate nihil obstant, nunquam inter ecclesias interrupta pax est. Cfr. De Rubéis op. cit. diss. II, cap. I.

(2) Act. IV, ap. Labb. tom. III, col. 689.



fide tradita in symbolo nicæno, et tunc evidens est ipsum non vetuisse illud additamentum, quo solum expressius declararetur eadem fides, in eodem nicæno symbolo contenta, cujusmodi profecto est illud propter quod nobis græci licet moveant. Vel per alteram fidem intellexere patres Ephesini præse quamcumque ulteriorem declarationem symbolo addendam, et tunc ex facto ipso patet, decretum non afficere, nisi peculiari ac priatas personas sive individua; alioquin orientales et græci ipsi primi fuissent hujus decreti violatores.

Etenim 1. concilium Chalcedonense, quod post Ephesinum celebratum est, etsi renovaverit sanctionem Ephesinam, attamen, Propter illos, qui Spiritui Sancto repugnabant, commendat additamenta facta a centum quinquaginta patribus constantinopolitanis, et ipsum symbolum ab iisdem auctum recepit et in usum communem totius ecclesie deduxit (1).

2. Ecclesie orientales non solum symbolum Constantinopolitanum susceperunt, quod etiam Nicænum dictum est, sed præterea ipsum inseruerunt fidei formulæ.

3. Non obstante lege Ephesina, peculiare vigeant fidei formulæ Antiochena, Hierosolymitana, Philadelphensis ab utraque sive Nicæna, sive Constantinopolitana formula discrepantes, quin tamen violata legis ecclesie accusata fuerint, sive ab ecclesiis ceteris orientalibus, sive ab ecclesiis occidentalibus, quæ semper retinuerunt in sua simplicitate symbolum apostolicum pro instructione catechumenorum atque in ritu baptismatis, neque inseruerunt symbolum liturgiæ.

4. Eadem lege non obstante licitum sibi duxerunt

(1) Eutychemi enim, sub prætextu adherendi formulæ seu symbolo nicæno, rejiciebant additamenta huic symbolo facta a concilio Constantinopolitano 1, ut sic facilius suos errores tegerent. Hinc patres synodi Chalcedonensis, celebratæ anno 451, nempe post concilium Ephesinum, Machinationem omnem hæreticorum contra veritatem claudere volentes, ut ibid. legitur, actione v decreverunt: « Ante omnia, fidem integram et intemeratam permanere trecentorum decem et octo Sanctorum Patrum (Nicænorum) doctrinam confirmantes, quæ de substantia Spiritus Sancti a Patribus centum quinquaginta postea congregatis in Regia civitate (Constantinopoli) tradita est propter illos, qui Spiritui Sancto repugnabant. » Apud Labb. tom. iv, col. 565, integrum decretum legi meretur. Et ex eo tempore factum est commune ecclesie orientali universæ symbolum constantinopolitanum, quod nondum receptum universim erat in usum præsertim liturgiæ. Quæ quidem agendi ratio patrum chalcedonensium ineluctabile suppeditat argumentum ecclesie occidentali ad defendendam declarationem eidem symbolo insertam per verba Filioque. Dixi ecclesie universæ orientali commune effectum symbolum constantinopolitanum; nam ecclesie occidentales, præsertim Romana, adhuc persistenter in simplicitate symboli apostolici per plura sæcula. Concilium autem Ephesinum per symbolum nuncupatum intellexisse symbolum illud præse sumptum absque additamentis symboli constantinopolitani, e moerore fit ex recitatione ejusdem symboli nicæni facta in eodem concilio, prout postea idem factum est in Concilio Chalcedonensi una cum recitatione symboli constantinopolitani. Ibid.

Orientalibus novis ingruentibus hæresibus, monothelitarum præsertim et iconomachorum, prolixioribus verbis formulas nicænam et constantinopolitanam exponere ad rectam fidem profitendam, atque se ab omni erroris suspitione purgandos, ut patet ex actis synodorum generalium VI et VII, imo a Tharasio episcopo Constantinopolitano fidei formula ad Patres has transmissa est hoc additamento; Et in Spiritum Sanctum Dominum vivificantem, qui ex Patre per Filium procedit (1).

5. In ordinatione episcoporum græci tres fidei professiones ad instar symboli emittunt, seu ipsum constantinopolitanum symbolum adjectionibus pluribus locupletatum recitant.

Si igitur orientalibus et græcis licuit, inconsulta sedè Apostolica prefatas declarationes symbolo nicæno adijcere, et in usum communem deducere, diversas fidei professiones componere nicæne fidei consentaneas justis de causis, non obstante decreto ephesino, argumentum ineluctabile est, ipsos vel legem ephesinam interpretatos esse de additamentis fidei nicæne contrariis, vel eam spectasse ut sanctionem disciplinarem, a qua, gravi urgente necessitate licitum esset sin privatis personis, saltem ecclesiis, ubi hæc vigeat necessitas, recedere. Frustra igitur crimini vertunt ecclesie Latine, quod eadem libertate, qua usa est ecclesia Græca, ipsa utens, urgente eadem necessitate, hanc declarationem admiserit in symbolo constantinopolitano; multo vero minus accusari poterat ecclesia Romana, quæ, utpote omnium ecclesiarum mater et magistra, ut declaratur in concilio Florentino, suprema pollet in ecclesiis omnes potestate.

Deinde compertum est, a sæc. VI ecclesias hispanicas, ex occasione conversionis gothorum ad catholicam fidem, qui secum ex oriente errores detulerant arianorum, macedonianorum et eunomianorum, Filium minorem Patre, ac Filio minorem Spiritum S. factumque a Filio profectum, qui præterea negabant Spiritum Sanctum a Filio procedere, statuuisse, ut caneretur ad exemplum græcorum intra Missarum solemniam symbolum fidei, particula Filioque adactum, Quo et fides vera manifestum testimonium habeat (2).

(1) Quod idem est, ut ex dictis patet, ac dicere: ex Patre Filioque procedere. Cfr. act. iv et act. x conc. Constantinopolitani III, apud Labb. tom. vi, col. 681 et seqq. et col. 841 et seqq. nec non act. III conc. Nicæni II, ibid. tom. vii, col. 165. Verba autem seu fidei professio ad rem nostram quod attinet hæc sunt: Καὶ εἰς τὸ πνεῦμα τὸ ἅγιον, τὸ κύριον καὶ ζωοποιόν, τὸ ἐκ τοῦ πατρὸς δι' υἱοῦ ἐκπορευμένον. Eadem ratione hæc ipsa verba leguntur in collatione Harduini, qua omnium accuratissima censetur, tom. iv, col. 152.

(2) Hæc synodus Toletana in celebrata est an. 589 sub Reccarèdo Rege; in hujus can. in anathemate perecllitur quicumque Spiritum Sanctum non credit, aut non crediderit a Patre et Filio procedere; eumque non dixerit coæternum esse Patri et Filio et coequalent. Ex quibus patet Gothos ante suam conversionem professos esse processionem Spiritus Sancti a solo Patre. Hinc eadem Synodus, capitulo II hæc statuit: « Pro reverentia sanctissimæ fidei, et propter corroborandas bonorum invadidas mentes, copulavit piissimè et

Nec tamen vel accusatae sunt ecclesie hispanicae a græcis violati decreti, neque se ab illis separarunt. Compertum pariter est ecclesias gallicanas sæc. VIII ex occasione iconomachorum, qui accusabant latinos hæreseos, eo quod profiterentur Spiritum S. a Patre et Filio procedere, hoc additamentum adoptasse una eum ritu liturgiæ Hispaniarum, ac sensim dein sine sensu ecclesias Germaniæ et Italiæ idem exemplum secutas esse (1), quin propterea a græcis catholicis accusatae sint ecclesie istæ tanta sæculorum intercaedine. Cur igitur Michael Cerularius inde ansam arripuit schisma faciendi ab ecclesia romana, eo quod ipsa, nonnisi ante paucos annos symbolum tandem admiserit cum additamento et canere cœperit in Missa uniformitatis gratia cum ceteris occidentalibus ecclesiis (2)? Solius ecclesie Romanae non licuit, quod et orientalibus et occidentalibus ecclesiis semper licitum fuit? Violati præcepti solane rea erit ecclesia Romana, eo quod inconsultis græcis particulam illam admiserit, et immunes erunt ab hoc crimine ecclesie orientales, quæ, inconsulta ecclesia Romana, tot admiserant additamenta?

Concludendum igitur est nullam prorsus rationem esse criminandi ecclesiam latinam ob adjectam declarationem symbolo nicæno, deductam ex decreto ephesino, tum quia, ut longe probabilius est ex dictis, decretum non afficit, nisi solas formulas fidei nicæne professioni contrarias, aut diversas; tum quia si respiciat etiam declarationes nicæne professioni consentaneas, non afficit nisi privata individua, seu penitiales personas non autem ecclesias ipsas, urgente præsertim gravi causa, ut ex factorum ineluctabilium serie colligitur, et ex perpetua ipsa agendi ratione eorundem græcorum; multo vero minus nunc ob ejusmodi declarationem culpanda ecclesia latina est; cum a duobus œcumenicis conciliis admissa atque approbata sit, quæ eadem ac Ephesinum potestate et auctoritate gaudent.

Seu quod idem est immerito græci ecclesiam latinam corrupti symboli insimulant ob additamentum particula Filioque.

DIFFICULTATES.

Obj. 1. Lex ephesina lex generalis fuit ab universa

gloriosissimi Domini nostri Reccaredi Regis, sancta constituit synodus, ut per omnes Ecclesias Hispaniæ vel Galliciæ secundum formam orientalium ecclesiarum concilii Constantinopolitani, hoc est, 150 episcoporum symbolum fidei recitetur; ut, proutquam doctrinica dicatur oratio, voce clara a populo decantetur, quo et fides vera, etc. Cfr. Labb. tom. 7, col. 1600 et 1609. Hanc additionem retinuerunt et propagarunt sub equentes synodi hispanicae.

(1) Cfr. de Rubens diss. cit. cap. 4, § 2 et seqq. (2) Certum est Leonem III ægre tulisse additionem symbolo appositam, et indicasse legatis Francorum modum eandem tollendi a symbolo; sed nihil proficit. Consuli possunt acta collationis istius apud Barrojum ad annum 809, n. 54 et seqq. Romana enim ecclesia tenacissima semper fuit antiquitatis, nec nisi, ut plures volunt, sub Benedicto VIII, anno 1014, ut in isto hujus capitis diximus, adoptatum symbolum cum additamento est.

ecclesia, in concilio congregata, statuta, et communis universæ ecclesie; ergo nonnisi ab eadem ecclesia universali abrogari seu mutari poterat. 2. Frustra propterea vel exemplum concilii Chalcedonensis vel alterius cujuscumque œcumenici concilii adducitur, eo enim ipso quod œcumenica essent ejusmodi concilia, poterant legem ephesinam tum interpretari, tum eidem derogare. 3. Frustra pariter ceterarum formularum exempla urgentur, cum istæ non essent fidei professiones universæ ecclesie communes, sed particulares. 4. Hinc patet, quare ecclesia græca toleraverit factum additamentum ab ecclesiis sive hispanicis, sive gallicis, vel germanicis, reclamaverit vero tanquam de violato præcepto adversus ecclesiam latinam, cum Romanus Pontifex illud commune ecclesie occidentali fecit.

Resp. ad 1. D. Quæ haberet pro objecto formulas fidei, nicæne fidei contrarias vel diversas, C. formulas declarativas ejusdem fidei in symbolo nicæno contentæ, vel N. vel subdist. Quæ afficeret privata individua, C. ecclesiam vel ecclesias, legitima causa urgente N. Responsio constat ex dictis in probationibus, quibus edocemur non alio sensu ecclesias orientalem et occidentalem decretum illud intellexisse. Sane œcumenica re-ensita concilia admiserunt et approbarunt fidei professiones ab episcopis confectas et conciliis oblatas, quod non fecissent, si stricto illo sensu quo græci recentiores intelligendum contendunt, intellexissent decretum ephesinum.

Ad 2. Neg. Ex his enim conciliis quæ renovarunt et confirmarunt ephesinum statutum, semper magis patet sensus illius legis, alioquin concilia illa non derogassent eidem legi in ipso facto confirmationis. Si his addantur expressæ declarationes duorum conciliorum œcumenicorum Lugdonensis II et Florentini res plane confecta est; nec quidpiam ulterius græci habent quod reponant.

Ad 3. Neg. Quia ex his pariter elucet sensus in quo majores nostri acceperunt decretum concilii Ephesini: si enim ad verbum, ut præfertur, seu ad litteram vellemus illud rescare, istæ quoque formulæ particulares a quovis confectæ et ab ecclesiis particularibus admittæ, totidem fuissent violationes ejusdem decreti; cum vero et istæ confectæ fuerint atque in usum deductæ a particularibus ecclesiis, quæ postea a conciliis œcumenicis sancitæ sunt et approbatæ, evidens est, alio omnino sensu ab eo quem græci autumant decretum illud confectum fuisse. Adde quod, si lex illa in sensu græcorum communis fuisset toti ecclesie, seu universæ ecclesie imposita et constituta, multo minus ecclesiis particularibus licitum fuisset ab illa recedere.

Ad 4. Neg. conseq. Verum motivum hujus reclamationis fuit tum denegatio tituli Patriarchæ œcumenici ex parte Romani Pontificis, quem frustra Michael Cerularius ab eodem sibi concedi expetierat, tum latum in se pervicaciæ nomine anathema a legatis Pontificis. His commotus Cerularius schisma instauravit, ad quod coonestandum post plures alias causas, et



hanc intexuit de corruptione symboli; nullum vero ipse cum contribulibus suis delictum reperisset, si titulum exoptatum obtinisset (1).

Inst. I. Illicitam esse in symbolo adjectionem et legi ephesinae contrariam agnovit ipse Leo III, Rom. Pontifex, qui, referente Anastasio bibliothecario in ejus vita, num. 440, pro amore et cautela orthodoxae fidei, fecit scuta argentea duo, descripto in utrisque symbolo, in uno quidem litteris graecis, in altero vero latinis (2), nec tamen adjectionem Filioque apposuit; censuit igitur orthodoxae fidei cautelam id exposcere. 2. Idque merito, tum quia bene noverat patres constantinopolitanos verba qui ex Patre procedit accepisse ex ipsismet Domini verbis, quae in Evangelio leguntur. Joan. XV, 26, nec proinde debuisse Christi vocibus aliquid interseri (3); tum 3. quia sciebat Romanum Pontificem non potuisse, aut saltem non debuisse praetermisso consilio ceterorum patriarcharum, qui cum ipso divinum habent regimen ecclesiae, communi symbolo quidpiam adjicere. Ergo.

Resp. Ad 1. D. Id est, pacis et oeconomicae gratia adjectionem Filioque in Symbolo, sua cura descripto, Leo III inserere noluit, C. quasi illicitam putaret N. Quod si, referente Anastasio, pro amore et cautela orthodoxae fidei Leo III voluit describi symbolum in tabulis argenteis, id cavit, ne liberum cuique esset symbolo addere quidpiam, vel quidpiam ex eo minuere, ne hujusmodi additionibus aut imminutionibus aliquid aut irrepere aut tolleretur, quod fidem orthodoxam laederet atque corrumpere (4).

Ad 2. Neg. Ad priorem probationem, neg. patres constantinopolitanos ipsa verba Christi Domini, prout ea in Evangelio leguntur, usurpasse; sed solum sensum retinentes verba alia ipsi adhibuerunt. Sane verba Christi, prout jacent in Evangelio haec sunt: Qui a (παρά) Patre procedit (5), in symbolo autem: Ex Patre procedentem (6). Quod si patribus constantinopolitanis licuit Christi verba in alia mutare, quidni licebit ecclesiae Romanae voculam quam interpretationis ergo subjicere? Eo vel maxime quod Synodus VII

(1) Cfr. De Rubéis, diss. cit. cap. 5, num. 2, et De Feiler, Dictionnaire historique, art. Michael Cerularius.

(2) Edit. Fran. Blanchinii, Cfr. Baron. ad an. 809, num. 62. Frustra hinc colligebat Photius Leona in sensisse, Spiritum S. a solo Patre procedere. Hanc enim calumniam dispellunt verba ejusdem Pontificis, quae in collatione cum synodi aquigranensis legis protulit: Ita sentio, inquit, loquens de processione Spiritus S. a Patre ac Filio, ita teneo cum omnibus auctoribus et Sacrae Scripturae auctoritatibus. Si quis aliter de hac re sentire vel docere voluerit, defendo (inhibeo). Et nisi conversus fuerit et secundum hunc sensum tenere voluerit, contraria sententiam funditus abjicio. Quid clarius? Itaque non nisi ejusdem temperamenti gratia nolebat prudentissimus Pontifex, ut symbolo tunc temporis insereretur particula Filioque.

(3) Et hoc ipsum opponit Filaret, op. cit. pag. 55, at, quam inepte, patet ex responsione.

(4) Cfr. de Rubéis loc. cit.

(5) Ὁ παρὰ τοῦ Πατρὸς ἐκπορεύεται.

(6) Τὸ ἐκ Πατρὸς ἐκπορεύμενον ex quibus liquet mutata a patribus Constantinopolitanis particulam παρά in ἐκ, tum tempus ἡ τὸς αὐτοῦ, in participium ἐκπορεύμενον.

ac totus Oriens permiserit Tharasio haec ipsa verba Domini duabus vocibus ἐκ τοῦ, per Filium, interpolari? Et ante ipsum Epiphano absque corruptionis periculo licuit, tum in Panario tum in Ancorato, de Spiritu Sancto profiteri: Qui ex Patre Filioque procedit (1)?

Ad 3. seu ad alteram probationem Resp. 4. Neg. suppositum, scivisse nempe Romanum Pontificem, a se non posse, in iis praesertim quae ad disciplinam pertinent, aliquid decerni pro universa ecclesia, eo vel maxime quod concilia ipsa oecumenica totam vim suam habeant, ac robur acquirant a confirmatione Romani Pontificis, cujus rei luculentum exemplum suppeditat canon XXVIII concilii Chalcedonensis, qui per plura saecula nullam vim habuit, resistentibus Romanis Pontificibus; de quo suo quidem loco dicemus. Sed et hoc dato, resp. 2. Dist. Et ex hoc ad summum conficeretur, inconsultis Patriarchis non decessisse Romanum Pontificem sancire, ut adjectio illa admitteretur ab universa ecclesia, Tr. ab Ecclesia occidentali, cujus ipse Patriarcha est N. Nunquam vero Romanus Pontifex, etsi, utpote totius Ecclesiae caput, id praecipere potuisset, coegit ecclesiam orientalem ad admittendam hanc declarationem, sed solum annuit votis episcoporum occidentalium in ea permittenda, ac postea adoptanda. Ceterum tum in concilio Lugdunensi, tum in concilio Florentino orientales liberi declarati sunt circa admissionem hujus particulae; quod denuo confirmavit Clemens VIII (2). Addendum praeterea est, orientales, inconsulta Romana Ecclesia et episcopis occidentalibus, in concilio Constantinopolitano I. plura adjecisse symbolo nicæno; iisdemque inconsultis, in usum communem ac in liturgiam invehisse. Eodem itaque jure sui sunt occidentales episcopi, ac praesertim Romanus Pontifex, adoptando additamentum, inconsultis orientalibus, et in usum deducendo in liturgia (3).

(1) Τὸ παρὰ τοῦ Πατρὸς καὶ τοῦ Υἱοῦ ἐκπορεύμενον. Cfr. Le Quien, diss. cit. num. 58.

(2) In concilio Lugdunensi Imperator Michael Paeologus postulavit, ut Ecclesia sua symbolum semper dicat, prout dicebat illud ante schisma usque, in hodiernum diem, quod tum a Pontifice, tum ab episcopis ipsi concessum est. Sic in concilio Florentino, nemine ex latinis repugnante, graeci dixerunt: Additionem nequam omnino nos recipimus; sed concedimus vobis, ut eam habeatis in Ecclesiis vestris. Clemens vero VIII, Bulla xxxiv, § 6 decrevit, ut graeci credere teneantur Spiritum S. ex Filio procedere: sed non teneantur pronuntiare, nisi subes et scandalum. Cfr. Le Quien, diss. cit. num. 58. Ex dictis patet, frustra Marcum Anton. de Dominis, lib. vii, De Republ. christiana, cap. 10, affirmare periculosum quidem esse, non tamen hereticum, illam processionem negare. Quod mirum esse non debet in homine apostata, infallibilitatem oecumenicorum conciliorum minime agnoscente.

(3) Circa hoc additamentum praeter auctores superius citatos consulti potest Franc. Xaver. Piarovich S. J. in Controversia, seu colloquio Latinum inter et Graecum de additione particulae Filioque ad symbolum fidei, quae exstat in Thesaurio theol. Zaccaria, tom. III; nec non erudita Dissertatio Christiani Lupi Ord. S. August. tom. I. Synodorum generalium, edit. Venet. 1724.

CAPUT VI.

AD EA QUAE DICTA SUNT SCHOLIA COMPLECTENS.

Ne in re tanti momenti, cujusmodi est ineffabile et augustum Trinitatis mysterium, alicui subesse possit ex ignorantia ac defectu rectae notionis, errandi periculum, tum ut nonnulla enucleatius exponantur, quae in tractatu decursu vix attingimus, operae pretium duximus nonnulla adjicere scholia, quibus ea, quae dicta sunt de processionebus, relationibus aliisque id generis, illustrentur juxta catholicam doctrinam et communem Doctorum sensum.

SCHOLION I. Binæ processiones admittendae sunt ac binæ origines, generatio et processio; et quod consequens est quatuor relationes, Paternitas, Filiatio, Spiratio activa et Spiratio passiva. Duas namque dari origines ex Scripturis constat. Nam Filius genitus dicitur a Patre (Ps. II, 7), et Spiritus Sanctus procedere (Joan. XV, 26). Patris nulla est origo. Ipse enim divinarum omnium originum fons est seu, ut Graeci loquuntur, causa procreatrix; ut suo loco adiutatum est, quam nos principium summum vocamus; ingentius proinde Pater dicitur, improductus et immasculabilis.

Has autem processiones fieri debere per actiones, ut vocant, immanentes, intimas nimirum Deo, seu intra Deum manentes, nemo est qui dubitet, ac per hoc distinguuntur ac differunt ab actionibus transeuntibus ad extra, seu externis cujusmodi sunt res create omnes, quae externis a Deo producuntur. Actiones item immanentes ex theologorum doctrina non sunt nisi duae, intelligere et velle, propter summam Dei perfectionem, qua omnia, quae a Deo cognoscuntur, unico ipse actu comprehendit; omnia, quae ab eo probantur, unico pariter ipse voluntatis actu complectitur.

Ex quo theologi plerique inferunt, principium proximum processionum neque divinitatem esse per se spectatam, neque hypostasim aut relationem, quae divinae potius processionis supponant; sed intellectum et voluntatem, quatenus facultates rationales sunt. Scripturae enim et patres passim Filium Verbum et Sapientiam vocant, quae spectant ad intellectum; Spiritum Sanctum vero Amorem, Charitatem, Gratiam ut plurimum dicunt, quae quidem voluntatis sunt. Cum insuper Filius terminus adequatus sit intellectus, utpote qui cum exhausta quemadmodum et Spiritus Sanctus, qui totam exhausta voluntatis fecunditatem, divinae voluntatis terminus est adequatus, quomobrem clare colligitur, quare nec plures nec pauciores divinae processionis sint quam duae commemoratae (1).

(1) Nemo est qui nesciat rationem, qua divinae personae prolici dicuntur (utrum scilicet immediate a natura, an mediate tantum ab intellectu et voluntate), quatenus cogitatione distinguuntur a divina essentia, non attingere dogma ipsum, sed diversas in scholis obtinuisse ac obtinere sententias; etsi alia aliis probabilior sit ac magis communis. Quod quidem observo, ne sociniani vel rationalistae, quibus haec sententiae non placent, ansam sumant, ut passim ab ipsis sit, indidem impugandi dogma ipsum, quod

Sunt qui cum D. Thoma, part. I, q. 27, art. 4, generationis Filii et processionis Spiritus S. diversi-

integrum semper subsistit, etsi modus exponendi has productiones seu processionis, qui apud theologos obtinet, rejiceretur. Cfr. Suarez, De Trin. lib. I, cap. 5. Sic non desunt, qui negent Filium seu Verbum a Patre produci, seu generari per intellectum, et destruere moliantur principia, quibus haec sententia innititur. Qui enim hanc sententiam tuerentur, aiunt 1. hoc principium tanquam axiomaticum nituntur: Omne verbum mentis expressa est imago et similitudo rei cogitata (Cfr. Petav. lib. vi, cap. 2, § 2); atqui, subsumunt impugnatores, hoc principium est falsum; nam quae per tactum, gustum, etc., percipimus, sunt affectiones mentis, et tamen istae non praeseferuntur imaginem et similitudinem rei perceptae; ergo.

2. Alterum principium horum theologorum est, quod mens intelligendo sibi pariat ideam, quae sit menti imago; atqui insurgunt alii, hoc pariter falsum est; nam, mens dum reflectit super se ipsam seu cogitat mentem suam, sine dubio mens habet ideam sui, nimirum cogitat seipsam, haec autem cogitatio non est imago mentis, quam nemo vidit, et adhuc ignoratur mentis essentia, qua ignorata, deest imago ejusdem, saltem in omni cogitatione.

3. Ut sensus sit eorum, imagines rerum experimur, positus jam rebus diversis, a mente; ergo, si Pater conciperet intelligendo imaginem, quae Filius esset, oporteret concludere, illum concipere imaginem, quia Filius jam existeret, non autem Filium existere, quia Pater conciperet imaginem, quae Filius esset.

4. Hoc magis patet, analysi instituta cogitationis, seu intellectus sui ipsius. Intelligere seipsum est veluti convertere et contrahere se ad se ipsum, imo recipere se tandem, ut ita loquar, intra se ipsum. Atqui gignere est profundere aliam hypostasim, est veluti extra se progredi, etc.; ergo.

5. Actus intellectus exercitur sic concipitur a theologis; Pater intelligendo se concipit, exprimit, generat alium se ipsum; porro intelligere se totum est veluti recepisse se totum contemplandum intra se ipsum contemplantem, est seipsum per seipsum dimetiri, ac interiori persuasione judicem ac testem sibi esse facte hujus contemplationis ac dimensionis; atqui iudicium intimum non est imago ulla, ut quisque intelligit; ergo.

6. Si Pater per intellectionem suam Filium gigneret, hunc tota sua intellectione gigneret; et quoniam intellectio haec tota, qua gigneret, Filium respicit ut gignendum, hinc tota Patris intellectione cognosceret Filium ut gignendum, nec unquam cognosceret ut genitum, id est, cognosceret certissime semper habiturum se Filium, nec habuisse tamen a tota aeternitate cognosceret.

7. Non est persona sine intelligentia et voluntate; quod si eo Filius actu prodiret, quo se Pater intelligit, prodiret ante consideratam voluntatem; nimirum cum nondum respiciet undique ut persona posset; seu quod idem est, Filius minime ex persona Patris nasci dicendus esset, si per intellectum, ut explicant, gigneretur, maxime quod per omnes theologos tertius et Trinitate ut voluntatis terminus respiciatur; ergo.

Haec aliaque similia non pauca urgent patrum contrariae sententiae, quae eorum usilio protulsi, non ut probem, sed ut pateat quot difficultatibus obnoxia sit opinio, quae tamen inter theologos communior est. Quid a fortiori de ceteris dicendum, ita ut satius sit dogma ab opinionibus secedere, cum illud ab his nullo modo pendat. Ceterum communis theologorum sententia satis solidum fundamentum habet in Scriptura et patribus, sive graecis sive latinis. Proponit autem difficultates, a psychologia ut plurimum petita, non possunt applicari operationibus divinis, quae longe nimis a nostris distant.